

N. V.
ACTA
ERUDITORUM

129

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DC LXXXII.

JOHANNIS MABILLON,
*Presbyteri ac Monachi Ordinis S. Benedicti
e Congregatione S. Mauri,*

DE RE DIPLOMATICA LIBRI VI.
*In quibus quicquid ad veterum Instrumentorum anti-
quitate[m], materie[m], scripturam & stilum; quicquid
ad Sigilla, monogrammata, subscriptiones, ac notas Chronologi-
cas; quicquid inde ad Antiquariam, Historicam, Forensemque
disciplinam pertinet, explicatur &
illustratur, &c.*

Lutetiæ Parisiorum 1681. in fol. chartæ Augustæ.

Quod si præclare de Historiarum studio merentur, qui varia Numismatum genera in apicum proferunt, velut certissimos Antiquitatis testes; præferre eidem non parum quoque videntur lucis, quorum labor prisca Regum & Principum Diplomata, ex intimis Archivorum recessibus depromta publico conspectui sistit: atque ita sistit, ut rationem simul vera & genuina hoc in genere quæ sunt, a falsis & suspectis discernendi subministret.

Nec aliud in præsentis lucubratione propositum sibi habuit DN. MABILLON. Chartarum enim veterum, quæ per Galliam hinc inde e Monasteriorum Archivis ostenduntur, fidem Scriptores quidam hujus temporis, quorum nomina infra exprimuntur, in tantum elevarant, ut in toto Francorum Regno nullam omnino chartam reperiri dicerent sinceram atque genuinam, ante regnum primi Dagoberti; paucissimas autem sub illo atque post illum usque ad Reges secundæ stirpis scriptas haberi, quæ vel autographa dici mererentur, vel ex au-

R

tographa

rogmpbo fideliter desumpta: Archivum præterea Dionysianum in eam suspensionem adduxerant, ac si nil nisi officina falsorum esset diplomatum, Pontificiorum ac Reginum: imo, quo nihil gravius videri ejusdem ordinis viro poterat, corruptionis hujus causam præcipue in Monachos conjecerant: *quicum vidissent a Potestatibus Secularibus undique accidi immunitates ac possessiones suas, non magno crimini sibi duxerint, pro ipsis tuendis fingere, qua in nullius cessura præjudicium, solum videbantur conductura tuenda equitati; quamvis largiantur, postea ad Clericos quoque mali exempli licentiam pertinuisse.* Istam igitur maculam quo deleret Autor, quove pristino suo Diplomatatori, & qua pollere in judiciis debent autoritati, suæque Cœnobii dignitati restitueret, Francorum Veterum, ut Pontificum nunc taceamus, monumenta Regum, primæ & secundæ stirpis, ut & tertiæ usque ad Ludovicum Sanctum (nam ut in hoc consisteret, nova viro persuasit rerum facies) splendido hoc in opere, ex variis per universas Galliæ provincias Monasteriorum, Ecclesiarum, Cœnobiorum Grammatophylaciis & Bibliothecis eruenda, illustranda, ac viadicanda sibi duxit: idque & summo studio, & animi stilique moderatione singulari.

Et quamvis non defuisse fateatur, qui varias sparsim regulas, ubi de singulari Instrumento agebatur, tradiderint, quo nomine *Leonis Allatii* commendat *Animadversiones ad Fragmenta Antiquitatum Etruscarum*, nec non *Hermanni nostri Conringii Censuram Diplomatæ Ludovicianæ pro Cœnobio Lindaviensi*; neminem tamen ad hoc usque tempus peculiari tractatione rem aggressum fuisse ante *Danielem Papebrochium S. J.* editis Antverpiæ *Sanctorum Actis* Clarissimum Virum: qui in *Propylæo ad Aprilis tomum secundum* data opera discutendam eam suscepit anno MDCLXXV; tanto cum successu, ut eum, modo Archivorum tantum, quantum Actorum suorum usum habuisset, omnium felicissime hanc exornare spartam potuisse judicet. Quo ipso salebrosi & asperi hujus itineris glaciem a Papebrochio fractam esse haud obscure videtur innuere; utut regulis ab eodem constitutis non per omnia postmodum consentiat, imo in plurimis locis easdem corrigat, ipsa diplomatum inspectione aliud edoctus.

Tametsi vero totum Opus in Libros sex distinguitur, præcipue tamen susceptæ rei summam Autor ipse exequitur primis tribus. Nam

in primo de variis, agit Diplomatum generibus, quando chartarum alias Ecclesiasticas, Regales alias, alias Pagenses seu priyatas facit, ad summa earundem capita cum hic, tum alibi respiciens: tum de Diplomatum *Antiquitate*; ubi adversus laudatum Papebrochium contendit, 1. Privilegia Monasteriis seu Ecclesiis Seculo septimo imo & præcedenti a Romano Pontifice fuisse concessa; 2. Constare cum ex Beda venerabili, tum ex aliis, Scripturam in transferendis prædiis eodem ævo usurpatam apud Anglosaxones; 3. apud Gallos a Chlodoveo Magno, primo Christiano Francorum Rege, ad ejusdem posteros nullum fere Francorum Regem exstitisse, a quo in Monasteriorum gratiam condita Diplomata non fuerint, idque ex Gregorio Turonensi de primis Regibus constare. Æqualem dein Chartarum privatarum ætatem ex veteribus demonstrat Ripuariorum legibus, ex secundo Marculfi libro Pagenses formulas complectente, tum ex Legis Romanæ seu Codicis Theodosiani edictis, ex variis illius temporis exemplis, nec non ex donationibus, quas a Seculo VI Monasteria obtinuerint, diversisque Regulæ S. Benedicti capitibus. Ad falsorum hinc originem delatus & variam Instrumentorum veterum fortunam, refutata rursus Papebrochii sententia, religionem Monachorum undecimi Seculi vindicat, potissimasque Originalium corruptorum causas explicat, caducitatem, jacturam, & dolum malum; quæque his opponi remedia possint.

In contemplatione *Materiae* cum In, tum Ex qua Diplomata reperiantur scripta, non deesse Scripturam observat, quæ in saxis & lateribus, in arborum florumque foliis, libris item arborum, hoc est, corticis interioribus tunicis; in tabellis ligneis, in cereis citreisque pugillaribus, in libris elephantinis seu pugillaribus ex Ebore; in plumbeis lamellis, in linteis voluminibus, & Papyro Ægyptiaca; in membranis & vulgari charta nostra; in corio, pisciumve pellibus, ac serpentum intestinis exarata olim fuerit & excepta. Imo fuisse, qui summi ipsius ac socii sui naufragium in testudinis dorso perscripserit. Ex hoc tamen materialium cumulo quinque tantum genera in questionem nunc adducit: chartam nempe membranaceam seu coriaceam, corticeam ex ligno, & papyro Ægyptiaca, plumbeam, & nostram communem. Et Ægyptiacæ quidem chartæ usum in Europa, maxime in Gallia, & Italia, longe post Christum natum, imo ad Seculum usq; X.

viguisse, ex veterum Scriptorum non obscuris testimoniis evincit; ut Dionysiani Archivi diplomata hoc nomine, quod in cortice exarata sint, pro falsis haberi nequeant. Pro materia vero Ex qua scripta, non modo atramentum, sed & rubricam seu minium; quo passim Imperatores Orientis usi, quin & ex Carolinis Regibus nonnulli; liquorem item aureum, & argenteum genuinis Diplomatum fuisse docet.

A materia ad literarum ductum transit, & de *Scripturarum* varietate, de prisca scilicet Scriptura Gallorum, Romana, (cujus tres numerantur species: pura, Semigothica, & minuta seu minutis literis constans) Runica, Longobardica, Francogallica seu Merovingica, Carolina; Germanorum, Anglosaxonum, aliisque; nec non de Tironis compendiosis notis eo potissimum differit consilio modoque, ut ex recitatis capitibus verorum semper discrimina a falsis colligat & ostendat.

Secundum Librum in Diplomatum stilo, subscriptionibus, sigillis, & notis occupavit Chronologicis. Initio enim *stili* barbariem excusat vel eo nomine, quod ex ruditate seculi & Notariorum imperitia partim, partim ex communi usu seu formulis usitatis, nec non ex Notariorum affectatione, imo ex Orthographia, literarum puta adjectione, detractio, immutatione, & transmutatione, quandoque proveniret. Jam in quibus stilus consistat traditurus, uberius de Diplomatum agit inscriptione, de præmissa Invocatione, de Titulis, quos Romani Pontifices in suis, nec non Episcopi, Archiepiscopi, Abbates &c. adhibuerunt. Quo loco observat inter cetera, quod titulum, *Universalis*, seu *Catholicae Ecclesiae Pontifex* sive *Episcopus*, Johanni Constantinopolitano Episcopo abrogari voluerit Gregorius Magnus, nec ipsemet usurpare eum affectarit, ratus id præjudicare aliorum Episcoporum dignitati, eoque tendere, ut unus censeretur Ecclesiae Episcopus, ceteri quasi illius vicarii: quodque insequentibus Romani Pontifices hoc quidem nomine usi reperiantur, sed ad designandam suae modo sedis præminentiam; aut eo certe sensu, quo Leo Magnus in Epistola ad Theodosium Augustum, *Papam Ecclesiae Catholicae urbis Romae* se nominat, id est Ecclesiae Romanae quae Catholica est: & quidem longe potiore jure, quam Armeni & quidam Patres Asiatici, qui propter Dioecesis suae amplitudinem *Catholicos* se volebant appellari. Præterea, cum *Papa*, tum *Summi Pontificis* nomina & aliis a Romano Episcopo, & Archiepiscopis tributa fuisse quondam; neminem tamen præter

Roma-

Romanum easibi arrogasse: nec deesse literas, in quarum inscriptione Pontifex suum nomen ejus ad quem scripsit nomini postposuerit ipse. Inde ad Francorum Regum de prima stirpe diplomata eorumque stilum reversus notat, titulum *Illustris* præ aliis iisdem placuisse, quod *Illustratus* inter honoratorum gradus tres, *Illustrium*, *Clarissimorum*, *Speſtabilium*, potior ac magis præcipuus haberetur: Tum quas Carolingi, Pippinus, Carolus Magnus Rex, idemque Imperator, Ludovicus Pius, & sequentes usque ad Ludovicum S. in literis suis initiales formulas usurparint, explicat: ut & illas, quæ Imperatoribus, Regibus Italiae, Siciliae, Angliae, & Hispaniae; quæque privatis pro vario Notariorum genio, apud Francos, Germanos & Italos placuerunt. Ut omittamus, quæ porro de vocabulis in Charta singularibus, cognominumque ratione & origine, de Diplomatum imprecationibus & pœnarum quatuor generibus in charta apponi solitis, hoc loco inferuntur.

Excussis quæ ad stilum pertinere videbantur, *Subscriptionum* & *Sigillationum* formulas persequitur, & quis primus e Francorum Regibus Monogrammatibus usum in regia diplomata invexerit, & quibus monogrammatibus usi fuerint Pontifices, recenset. Hinc de Cancellariorum subscriptionibus in regiis literis usitatis, eorumque, ut & Notariorum, & Archi-Capellanorum officio agit, adjecto Cancellariorum Franciæ Catalogo. Ad *Sigilla* veniens, anulorum primo signatoriorum usum tradit, materiam, & cælaturam, quodque Francorum Reges eos aliquando usurpaverint. Postea de Sigillis loquitur in anulorum locum succedentibus: & quidem de Pontificum, Episcoporum, Capitulum, Abbatum, Abbatissarum, Conventuum, & Monasteriorum; mox de Sigillis Francorum Regum pro discrimine stirpium diversis, de fascia eorundem gemmea, & imaginibus, sceptro, baculo, manuque Justitiæ, quæ in Regiis conspiciuntur, de lemniscis item sive appendiculis & diversi coloris cera formam sigillorum exprimente: De Sigillis Magnatum, Nobilium, Militum, & postgenitorum, nec non integrorum Collegiorum, atque Urbium apud Francos. Tandem *Notarum Chronologicarum* examine, quod ex earum maxime instituit inductione, quas Pontifices, Reges Franci, & Imperatores in Diplomatum suis adhibuerunt, librum hunc concludit.

In *tertio* libro Diplomata autor examinat, quæ pro verorum exempla-

emplaribus proposuerat Papebrochius, Dagobertinum nempe pro Sancto Maximino, Carolinum, & aliud Regis Lotharii, monetque ista specimina saltem de eorum esse genere, quæ sunt anomala, nec in exemplum trahi posse. Tum Papebrochii, monitum a Joh. Mareshamo datum in Propylæo ad Monasticum Anglicanum: *Caute intuende sunt ejusmodi charta, quæ fidem habent eo minorem, quo majorem præferunt antiquitatem*: approbantis, imo vehementer laudantis sententiam de vetustis instrumentis refellit, & Archivum Dionysianum ab eodem impugnatum vindicat: adhæc, quæ Scriptor quidam nuperus, quæque Conringius ex Naudæo Monachis objecerat, diluit & amolitur. In parte libri reliqua *Notitiarum & Chartariorum* varia recensentur genera: Illæ in autenticas sive *publicas*, quæ editæ coram Magistratu, & *privatas*, quæ a privato Notario conditæ: hæc in *historica, autentica & privata* distinguuntur; nec originem tantum eorum, usum, & delectum, sed valorem quoque & vim probandi expendit: tandemque Conringii sententiam, quod nullus circa veritatem & falsitatem usucapioni, nullus proinde præscriptioni possit esse locus, quoniam veritas aut falsitas enunciationum dominio aut arbitrio humano non sit obnoxia, commendat.

Libro *quarto* de Francorum Regum Palatiis agitur, & villis Regiis in quibus Diplomata fuere data & concessa. Quæ ipsa CLXIII numero, totidem sectionibus, juxta Alphabeti ordinem, non tam Autoris, quam ejusdem Socii, Dn. Michaelis Germani verbis commemorantur: ita quidem ut verorum: Carisiaci v.g. Mamaccarum, Silviaci, Basivi, Verni situs inter eruditos etiam controversi illustrentur; fictitia vero & ex perverso diplomatum lectione nata, quorum exemplum in *Corfintisca* num. 43. habes, rejiciantur, detecta erroris origine & vera lectione restituta.

Quinto libro, ut quam inter se præcepta & experimenta hujus rei congruant intelligatur, distinctis duodecesaginta tabulis veterum Scripturarum specimina, studio singulari & arte in æs incisa exhibentur, adjectisque notis explicantur: *primo* nempe Specimina veterum Codicum & inscriptionum cum variis Alphabetis: *Secundo* Specimina Diplomatum Regiorum a Dagoberto primo ad S. Ludovicum *tertio* Specimina Chartarum Ecclesiasticarum; quibus præter compendiosas Tironis notas, Regio quodam codice expressas & vetustissimæ char-

æ

tae Ravennensis specimen cum difficillimae lectionis interpretatione annectitur; cuius monumenti scripturam Petrus Lambecius incognitam existimaverat, in Caesarea Bibliotheca tomo 8.

Sexto denique libro Diplomata & instrumenta amplius ducenta in praecedentium librorum probationem adducuntur, & serie temporum servata, brevibus cum Annotationibus referuntur, pleraque ipsis ex Archetypis desumpta. Ex his sub finem Autor aliqua deduxit Corollaria, ad Coenobii Dionysiani maxime dignitatem facientia; quibus denique universalis totius index Operis subjungitur. Nec parum adjumenti videtur concinnando operi attulisse Antonii Wionis Herovallii, Cardinalis Casanatae, Achillis Harlæi, Petri Carcavii, Stephani Bakuzii, Antonii Magliabeci, Petri Lambecii, Caroli Frefnii Cangii, in Doctissimum Autorem benevolentia; quippe quae veterum praecipue Scripturarum Speciminibus auctum illud & ornatum, teste Praefatione, dedit.

*ECCLESIAE GRÆCÆ MONUMENTA STUDIO
atque opera Johannis Baptista Cotelerii, qui e MSS. exem-
plaribus depromsit, Latine interpretatus est,
Notasque adjecit.*

Tom. II.

Lutet. Parisior. A. C. 1681. in 4.

ANtiqua manu exarata monumenta, quae rei literariae vel amplianda vel illustranda inservire possunt, e latebris suis, ubi cum fitu, carie, tineis blattisque non sine magno irreparabilis jacturae periculo colluctantur, in lucem protrahere, magni sane laboris, nec minoris emolumenti res est. Fecit id inter alios aetatis nostrae Philologos, qui haec Ecclesiastica veteris pariter & degeneris Graeciae monumenta divulgare coepit, *Johannes Baptista Cotelerius, Sorbonica Societatis Theologus & Regius Linguae Graecae Professor*, de cujus reliquis lucubrationibus Orbi Literato jam pridem notis non est hic differendi locus. Ad praesens Opus quantum attinet, varium illud est & multiplex, quo *Exegetica, Canonica, Juridica, Liturgica, Ascetica, Ethica, Historica, Chronologica, Geographica, Dogmatica, Polemica* una cum *Homiliis, Quaestionibus, Symbolis, Dissertationibus, Epistolis, Scholiis Carmi-*

Carminibus, Actis martyrum, Vitis Sanctorum, Elogiis, Eclogis, Fragmentis, cæterisque cujusque generis scriptis continentur. Cum enim Illustrissimus Colbertus Cotelerio & Regiam & suam Bibliothecam liberaliter aperuisset, hortatus, ut pro insigni sua Linguæ Græcæ peritia & summo erga bonas literas amore, Manuscripta Græca recognosceret, & quæ aliquod operæ pretium factura viderentur, publici juris faceret, is negotio huic & manum suam & ingenium non segniter admovit, Græcos Codices MSS. pervolvit, ἀνεύδοτος annotavit, perlegit, qui præ aliis magis arriserunt descripsit, relegit, cum aliis exemplaribus contulit, a mendis librariorum repurgavit, interpretatione Latina donavit, & notis illustravit. Sunt autem notæ illæ duplicis generis, aliæ marginales, quæ varias lectiones, emendationes, locorum collationes, & Autorum allegationes complectuntur; aliæ ad calcem singulorum voluminum rejectæ, in quibus id potissimum Eruditus Autor agit, ut Criticorum more pro re nata Variorum Autorum loca aut depravata corrigat, aut obscura & difficilia explicet, & minus obvia animadvertat, cum in tanta literarum luce prolixis commentariis, dissertationibus, & Locis Communibus haud opus fuisse existimaverit. Cæterum in plures Tomos se hæc Sylloge diffundit, e quibus primus A. C. 1677 lucem publicam aspexit, secundus autem ob varios Autoris morbos frequenter interruptus superiore demum anno prodiit, quo sequentia comprehenduntur:

Asteri Amasænorum Episcopi, qui circa seculi quarti finem doctrinæ, eloquentiæ, & pietatis fama floruit, in *Psalms. V. VI. & VII. homilia.*

Synodi Sextæ Generalis habenteseculo septimo sub auspiciis Constantini Pogonati adversus Monotheletas congregatæ e prima Agathonis Episcopi Romani epistola *fragmentum.*

Basilii & Apollinaris epistola mutue, quas ab Arianis vel Apollinaristis eum in finem, ut magnum illum Ecclesiæ Doctorem Basilium Apollinarismi suspectum redderent, confictas Cotelerius in notis p. 553. suspicatur.

Nonnullæ aliæ *Basilii* nomen gerentes, & duæ *Libanii ad Basilium epistola* exigui momenti.

Amphilochii Iconiensis in Lycaonia Episcopi epistola quedam Synodica, quæ Spiritus S. Divinitatem contra Pneumatomachos arserit.

Photii

Photii CPlitani Patriarchæ epistola invehiva ad Stauracium, in qua multa de capitonis (qui ad mugilum genera pertinet,) inter alios pisces singulari abstinencia & justitia præfatus, Præfectum illum Cypri reprehendit, quod homines cum facultatibus suis impudenter deglutiat.

Alia ejusdem *Photii* epistola seu potius *oratio*, in qua variis humanæ vitæ molestiis quaecunque remedium & levamen adhibere conatur.

Dominici Gradensis Patriarchæ, qui circa medium undecimi seculi claruit, *epistola ad Petrum Antiochenum*, cum ejusdem *Petri responsio*, in quo Archiepiscopo Gradensi seu Aquilejensi ac Veneto de Patriarchæ titulo controversiam movet, & de Azymis contra Latinos prolixè disserit.

Michaelis Cerularii CPolitani Patriarchæ epistola ad Petrum Antiochenum, in qua cum, ut Latinos multis erroribus, quos ordine recenset, obnoxios aversetur, nec amplius Papam Romanum in sacris diptychis referat, admonet, cum *Responsio Petri Antiocheni*, qui ad concordiam cum Latinis proclivior, nonnullos quidem Latinorum errores, quibus etiam Processionem Spiritus S. a Filio Symbolo additam perperam adnumerat, fugiendos omnino & detestandos esse, aliquos tamen sanabiles aut dissimulatione dignos, quosdam etiam Latinis fortasse afflictos asserit, & Michaellem Cerularium, ut de rigore suo aliquid remittat, obtestatur.

Alia *Michaelis Cerularii epistola*, in qua Petro Antiocheno, quomodo Legati ab Argyro Italiæ Duce dolosè subornati potius, quam revera a Papa Romano missi, pittacium seu libellum excommunicationis in sacra Mensa deposuerint, & quomodo ipse hanc injuriam contrario anathemate ultus fuerit, exponit.

Arsenii Testamentum, in quo persecutiones suas enumerat, & Michaellem Palæologum, quod juramenti sui immemor imperium invasisset, legitimum Imperii Hæredem oculis privasset, & alia iniqua facinora perpetrasset, excommunicatum Satanæ potestati tradit.

Alexii Comneni Novella, in qua de corrigendis Ordinis Ecclesiastici corruptelis sollicitus, ut ii tantum, qui dicendi peritia & laudabili vita alios antecellunt, ad Pontificatum & alias Dignitates Ecclesiasticas provehantur, jubet.

Vita Euthymii, celebris in Palaestina Monachi, a Cyrillo Presbytero & Monacho Scythopolitano composita, & ut Cotelerio in not. p. 604. videtur, a Simeone Metaphraste interpolata, in qua præter visiones, miracula, & res monasticas, nonnulla ad Nestorianæ & Eutylianæ hæreseos historiam spectantia referuntur.

Capitula nonnulla ex Johannis Moschi seu Eucrati Prato Spirituali, quæ Græce hæctenus desiderata fuerant.

Neophyti Presbyteri Monachi & Inclasi, qui seculo 13. vixit, querela de calamitatibus Cypri, ab Anglis capta & Latinis venditæ; nec non duæ Germani & Politani ad Cyprios epistole.

Johannis Zonara responsum de matrimonio duorum Sobrinorum cum una Fœmina.

Theodori Balsamonis epistola de jejuniis, in qua asserit, quod præter Paschæ Festum quatuor alia Festa, nimirum Festum Apostolorum, Transfigurationis, Dormitionis Deiparæ & Natalis Christi cum jejuniis celebrari debeant.

JOH. RODOLFI WETSTENII,
Oratoris in Acad. Basil. Prof.
ORATIONES APOLOGETICÆ PRO
Græca & genuina Linguae Græcæ pronuntiatione, contra novam atque a Viris doctis passim propugnatam pronuntiationem: & alia quadam diversi argumenti.

Amstelædami 1681. in 8.

UNicus ætatis nostræ scopulus aut verius naufragium cum, Daniele Heinio iudice, Græcarum Literarum imperitia & contemptus sit, minime lusisse operam censentur, qui modis omnibus in id incumbunt, ne quid cultus & elegantię suæ perdat Græcia, deliciarum illa omnium, cum ore suo loquitur, atque venustatum Mater. Nec vulgari id ipsi cura atque studio, præstitisse Autor in Apologia deprehenditur, quam pro genuina hujus linguae pronuntiatione nunc adornavit, & novem orationibus, Programmata ut raceamus præmissa singulis, inclusit.

Primum

Primam siquidem in occasione, origine, & statu hujus de Græcarum literarum sono & valore controversiæ exponendis sic occupavit, ut argumentis simul non proletariis, ex Historia maxime evincat, Pronunciationem Græcam neque a Vulgo tantum esse petitam, neque vel a Græcis vel a Barbaris corruptam. *Secunda*, a Græcis introductam Literarum *ταυτοφωνίαν* ostendit esse licitam, imitatione Latinorum cum in vocalium, tum in diphthongorum permutatione expressam, & propter incommoda non mutandam sed tolerandam potius. Quo loco minuendæ etiam *ἀμφιβολίας* rationem subministrat, ex identitate sonorum forte resultantis. *Tertia* de Vocalium H & Y differit potestate, & postquam originem usumque prioris ex Plinio, Plutarcho, Eusebio, Scaligero, & aliis exposuisset; quin & testimonia, utrorum sonos, atque rationes pro sono *τῆς Η Ἐτῆ* vel *Ἐτῆ*, a Beza, Ceratino, Meckerchio, Gretsero, Cheko, cæterisque dissentientibus allatas resolvisset, posterioris sonum genuinum vindicat. Succedunt Vocalibus Diphthongi, de quarum recta pronunciatione Oratio *quarta* non in genere modo agit, sed in specie quoque docet, Diphthongos EI, OI, YI, AI, AY, & EY male ut EI, OI, UI, AI, AU, & EU enuciari: rationes præterea dilucit, quæ horum pro sonorum defensione solent urgeri, quæque moventur ab aliis pro duriusculo litteræ B & Γ, aliud γ, κ, χ, ξ, præcedentis sono, curatius examinat.

Quinta oratione expediuntur arma & molis machinæ majoris pro Autoris sententia. Pronunciationem enim hæcenus assertam demonstrat viginti Seculorum usu antiquam esse, Græcis universis in oriente cognitam, ab Eruditis e Græcia allatam, suaque suavitate maxime jucundam: alteram e diverso superiori demum seculo excoGITATAM, novam origine, Græcis auribus sono barbaram, incertam, & a confusione nullatenus immunem. Porro, potestas genuina litteræ H *ita* Græcorum pariter atque Latinorum autoritate, ut & utriusque linguæ collatione, adhibitis eam in rem & codicibus & nummis antiquissimis, stabilitur Oratione *Sexta*. Quemadmodum & *Septima*, pro eodem litteræ hujus sono argumenta proferuntur solida, ex Hebræorum, Syrorum, Chaldæorum, Rabbinorum, Arabum, Persarum, Coptorum, Russorum, Germanorum, Gallorum denique, & Italicorum linguis; ubi scilicet H in I convertunt; nec non e

gravissimis Græcorum partim, partim Latinorum testimoniis desumpta. *Ostava* vocalem τ & diphthongos EI, OI, TI, a Græcis recte instar $\iota \omega \tau \alpha$ simplicis efferri, antiquitatis suffragio confirmat: & *ultima* denique defendit Autor, quod e diphthongis, AI ut E laxum seu Æ; AY, ET, & HT, ut *af, ef, if*: e consonis vero B *vita*, & Γ ante Γ , K, Ξ , X, instar N, rectissime a Græcis exprimantur.

Reliqua libri parte aliquot miscellæ Orationes disparis exhibentur argumenti. Par primum de Fœderibus deque Fœdere Helvetico in specie, nec non de Fide agit Helvetica: De Exilii miseria, & huic opponendo solatio, alterum. In extremo trium generum utilissimos reperies indices, Græcum, Latinum, & Autorum.

ULRICI OBRECHTI
Rerum Alsaticarum Prodomus.

Vol. I.

Argentor. 1681. in 4.

Veteres Alsatiæ incolæ *Triboccos*, postquam Romanum jugum subierunt, *Augustus* Imp. *Germania superiori* seu *prima*, quæ Rhæni fontibus, sicut inferior ejusdem ostiis, propior est, adscripsit. Romanis autem in Alsatiæ regimine, post Alemannos Tulpiacensi prælio a *Clodoveo* superatos, & possessione sua dejectos, Franci successerunt. Ubi eorum notandus error, qui confusis temporum gentiumque discriminibus terras, quæ cis Rhenum (Dn. Obrechtii Argentoratensis ore loquor) Alpibus & Oceano Germanico includuntur, Helveticorum, Sequanorum, Lotharingiorum, Mosellanorum, Ripuariorum, Belgarumque, in antiquum quoddam *Austrasiæ Regnum* compingunt, & pro vera ac primitiva Coronæ Francicæ hæreditate venditant. Enimvero si de titulo primigeniæ hæreditatis Francia Cistrhenana seu Occidentalis cum Orientali contendat, potiora momenta pro Orientali seu Transrhenana militant. Et hæc ipsa cum Cistrhenanis aliquot provinciis belli jure adjectis vetus *Austrasiæ Regnum* a *Neustrasia* distinctum composuit, cujus statum & terminos *Adrianus Valesius* & *David Blondellus* prolixius describunt.

Quamvis vero vetus Franciæ Regnum Germanicum fuerit, no-

va tamen in Alfatia Germanici regiminis origo ab eo tempore procedit, quo Gallia & Germania ita a se invicem divulsæ & separatae sunt, ut duo plane diversa Regna constituerint. Atque hic gradus quidam, per quos post varias Regni Francici divisiones Germanico Imperio Alfatia coaluit, observandi veniunt. Nimirum quod a Parente suo *Carolo M.* acceperat Imperium *Ludovicus Pius* inter Filios distribuens, *Lotharium* Imperii consortem adsciverat, *Pipinum* Aquitaniae, *Ludovicum* Bajoariae Regem dederat. Verum hi limites modo ob *Carolum* e secunda Uxore postea genitum, modo ob bella inter Patrem & Filios gesta, modo ob alias causas cum ipsa *Ludovici Pii* fortuna subinde fuerunt immutati, donec ille tandem humanis rebus eximeretur. Quo facto *Lotharius* ut solus rerum potiretur, Fratres Regnis suis deturbare conatus est. Sed dum Regnum suum præter fas augere concupivit, minuit, & prælio Fontanidensi victus prorsus amisisset, (siquidem jam *Ludovicus* & *Carolus* victores foedere Argentorati icto totam paterni Regni hæreditatem excluso *Lothario* inter se partiti fuerant,) nisi Anno sequenti DCCCXLII inter *Lotharium*, *Ludovicum*, & *Carolum*, qui hæcenus ingentibus præliis & se mutuo & universam Rempubl. misere afflixerant, pax tandem Viroduni inita in eas condiciones convemisset, ut *Carolus* occidentalia Regna a Britannico Oceano usque ad Mosam, *Ludovicus* orientalia, omnem scilicet Germaniam usque ad Rhenum cum nonnullis civitatibus & pagis in occidentali Rheni ripa sitis, *Lotharius* autem inter Utrumque medius incedens, Provinciam & Italiam & Regnum, quod postea Lotharianum dictum est, inter Scaldim & Rhenum obtineret.

In hac Regni Francici divisione Alfatia *Lothario* obtigit, qui eam, cum se Regno abdicaret, & id inter Filios divideret, cum universo Regno Lothariano Filio cognomini *Juniori Lothario* reliquit. At hoc mortuo, cum & Alfatiam & reliquam ejus hæreditatem Patruus ejusdem *Carolus* occupare niteretur, alter Patruus *Ludovicus* eum repulit, & ut dimidiam Regni Lothariani partem sibi traderet, coegit. Itaque A. C. DCCCLXX Lotharingicum Regnum inter duos istos Fratres, *Carolum Calvum*, & *Ludovicum Germanicum*, æquis partibus quas Annales Bertiniani designant, est divisum. Ægre id tulit *Ludovicus II* Imperator, Lotharii Junioris Frater, sed crebrae ejus obtestationes & consilia contra hanc divisionem agitata, cum morte abrumperentur, nihil valuerunt.

Alsatia igitur, quæ cum aliis Lothariani Regni partibus per foedus cum *Carolo Gallicano* seu *Calvo* pactum sub *Ludovici Germanici* ditionem & imperium venit, ita Germanico Imperio his temporibus accrevit, ut Gallis nihil in eam juris reliquum maneret. Quamvis enim post *Ludovici Germanici* obitum *Carolus Calvus* occasionem totius Lotharianæ hæreditatis occupandæ non omitteret, cum Patre se, non cum Filiis pactum cavillatus, *Ludovicus* tamen Junior Germanici F. portionem Patri suo tributam, & Germaniæ assertam, extorqueri sibi minime passus, imo Patru sui iniquitatem magna Galliæ clade ultus est. Extincto paulo post *Carolo Calvo*, Filius ejusdem *Ludovicus Balbus* cum Consobrino suo *Ludovico Juniore* pacem & pristinam Lothariani Regni divisionem, juxta Paternæ Transactionis formulam, firmavit. A quo tempore post *Ludovicum Juniore* ejusdem Frater *Carolus Crassus*, & hoc ab Imperio dejecto, *Arnulfus* altero *Ludovici* Fratris *Carolomanno* genitus, & hujus *Arnulphi* denique Filius *Ludovicus IV.* Alsatiam quiete possederunt.

Toto autem coelo errant, qui, cum in *Ludovico IV* denato ramus Carolinæ Stirpis Germanicus exaruisset, supremum Alsatiaæ dominium ad *Carolum Simplicem*, qui in Gallia tum superstes erat, *Ludovici Balbi* F. *Caroli Calvi* N. jure hæreditario devolutum, & postea in Familiam Capetinam translatum cum *Davide Blondello* asserunt. *Carolo* enim *Simplici* jus succedendi in Franciam Orientalem per legitimam *Conradi* electionem est præclusum, cum Franci Orientales non minus justam causam habuerint, cur præterito *Carolo Simplicem* *Conradum* eligerent, quam Franci Occidentales, cur post *Ludovici V.* excessum proximo ejus cognato *Carolo* Lotharingico *Hugonem Capetum* anteferrent, utriusque Regni rationibus & utilitatibus post divisionem adeo divulsis, ut alteri Regno minus aptus censeretur, qui alterius commodis inserviret. Unde Francorum Proceres, qui cum jam *Conrado* fidem suam obstrinxissent, mutatis postea animis in *Carolus Simplicem* inclinarunt, a *Conrado* armis coerciti, in Annalium monumentis rebellionis infamia notantur. Quod si vel maxime, si ve successione, si ve Procerum inclinatione *Carolus S.* jus in universum Lotharingicum Imperium sibi acquisivisset, est tamen illud omne solenni & jurata cessione iterum extinctum, cum ipsum *Conradi* Successor *Henricus*, ut Germaniæ ablata plenissimo jure restitueret, adegit.

Nullam

Nullam igitur omnino juris speciem, quam suis vindicandæ Lotharingiæ conatibus obtenderet, habuit Caroli Simpl. F. *Ludovicus Transmarinus*, qui alienæ potius conjurationis impetu, quam causæ fiducia, Alsatiam invasit, ab *Ottone I.* Henrici Successore mox repulsus, & in ordinem redactus. Ejusdem *Ludovici Transm. F. Lotharium* bis Lotharingiam infestis armis ingressum annales referunt. Semel enim ob controversiam de Comitatu Montensi arma expedivit, cujus expeditionis is eventus fuit, ut, quod apud *Sigebertum* & in *Chronica Franco-Saxon. MSC.* legitur, pace inter Ottonem & Lotharium sancita Lotharingiam Lotharius abjuraret. Neque dissimilis alterius Lotharingicæ expeditionis exitus fuit, quam, cum *Otto II* jam vivis excessisset, Lotharius suscepit. Pace enim cum *Ottone III* stabilita Lotharius omnia, quæ occupaverat, restituit, & Lotharingici Regni possessio, satente Blondello, *penes Ottonem III* illibata mansit.

Quomodo igitur a postremis Gallicæ Lineæ Carolinis, *Ludovico Transmarino*, & Lothario, & ejusdem Filio *Ludovico V* in Capetiænam Familiam transferri potuit, quod ipsi nunquam habuerunt Alsatiaæ dominium? quam, sive belli jus valeat victoriæ, sive pacis fides attendatur, pacta toties jurata Germanico Imperio vindicarunt. Qui vero e *Capeti* Successoribus *Philippum Pulchrum* novum juris in Alsatiam titulum, per transactionem cum *Alberto I Imp.* initam, Coronæ Francicæ acquisivisse putant, oppido falluntur, cum hodie istius transactionis tabulæ neminem amplius morari possint, postquam *Puteanus* omnem fabulæ larvam detraxit, & ex intimis Chartophylaciæ Regii recessibus errorem ipsum, & erroris originem detexit.

Quamobrem Coronæ Gallicæ melius consulunt, qui omnem Gallici in Alsatia regiminis originem, non e turbulentis incertorum titulorum lacunis, sed e liquida potius Pacis Westphalicæ scaturigine deducunt, quam etiam pro norma habere convenit, juxta quam istius regiminis limites determinentur. Quamvis enim cessione Imperatoris & Imperii Germanici, inter ipsa pacis negotia, ab Hispanis eidem obnunciantibus haud levis difficultas objecta fuerit, quæ ad Pyrenæos usque Tractatus, *Chiffletio* interim & *Blondello* acriter inter se disceptantibus, perduravit, & ex ipsis Pacis Tabulis, inter Galliam & Imperium Germanicum Domumque Austriacam multæ eademque graves controversiæ fuerint exortæ, quarum decisio privati
calami

calami arbitrium transcendit, & sublimius tribunal flagitat, liquida tamen & expedita est designatio ditionum Alsaticarum, in quas Regno Galliae, sive superioritatis, sive quodcumque aliud jus est concessum, cum Pacis Instrumentum Superioris & Inferioris Alsatiæ Landgraviatum, & Præfecturam decem Civitatum Imperialium in Alsatia sitarum nominet. Quæ autem enumeratis his partibus non comprehenduntur, nec ab iis dependent Alsatiæ ditiones, in eas nihil juris Gallia vindicare sibi potest.

Episcopatum Argentinensem quantum attinet, sunt qui eum a *Dagoberto* Francorum Rege fundatum existimant. Sed vulgarem illam traditionem, quamvis *Jodocum Coccium* & alios assertores nacta fuerit, *Godofredus Henschenius* & ejusdem Hyperaspistes *Jacobus Masenius* funditus evertunt, cum trecentis ante *Dagobertum* annis *Amandus* Episcopus Argentoratensis Sardicensi & Colonienſi Synodo interfuerit: cujus Successores usque ad *Heddonem*, qui A. C. DCCXXXIV Episcopus creatus est, *Erckenbaldus* carminice recenset. Quod autem Argentoratensibus Episcopis *Dagobertus* Urbem subjecerit, æque falsum deprehenditur; unde *Fr. Guillimannus* fatetur, doceri non posse, quod ante *Henrici II* tempora Argentoratum Episcopis suis subiecta fuerit. Quasi vero *Henrici II* autoritate *Wernerus* ejus temporis Episcopus Urbem hanc subiectam sibi reddiderit, quod ex *Werneriano* Instrumento, quo tota hæc conjectura nititur, probari minime potest, cum de Urbe Episcopis subiecta nihil in isto instrumento contineatur, & præterea fides ejus instrumenti, a prorumpentis undique falsitatis indiciis haud possit liberari.

Ejusdem fidei sunt Instrumenta *Francisci Rosierii in Stemmata Lotharingico* producta, e quibus aliqui Alsatiæ Ducatum cum Ducatu Lotharingiæ conjunctum, vel partem ejus fuisse, evincere conantur. Certe pleraque diplomata operi illi præmissa *Broverus* & *Masenius* manifestæ falsitatis arguunt, & Autorem istum plura contra historiæ fidem Lotharingis tribuere annotat *Thuanus*, qui Rosierium coram Rege in genua procumbentem, & multa a se calumniose dicta confidentem, & librum ejus coram ipso laceratum memorat.

Hæc & alia ad Antiquitates Alsaticas spectantia, unde *Tribocci* nomen suum acceperint, quando Alsatiæ vocabulum audiri cœperit, num *Argentoratus*, cum vicus antea fuisset, *Juliano* demum aut *Valenti-*

*lentini*ano imperante circumdatis mœnibus in urbem evaserit, utrum Mediomatrici a Tribocis sedibus suis ejecti & ad interiora migrare compulsi fuerint, quæ Ducatus, quæ Landgraviatum, quæ Imperialis Præfecturæ in Alsatia origo fuerit, & similia *Cl. Obrechtus* magni Bœcleri Gener, nec degener in Cathedra Academica Successor, in hoc Alsaticarum Rerum Prodromo e variis Chronicis & Annalibus, privilegiorum, donationum, foundationum, & pactorum instrumentis, & optimis quibusque historiæ præsiidiis, editis ac ineditis, antiquis ac novis, diligenter eruit, & quæ vel a fingentium vanitate, vel a credentium ignorantia & superstitione, ortum suum habent, a sincera rerum gestarum commemoratione tam nervose segregat, ut apud omnes, qui primum hoc Volumen delibarent, magnum reliquorum Voluminum appetitum excitaverit, quem ut propediem citra ullum impedimentum satiet optamus.

A NEW SYSTEME OF THE MATHEMATICKS, Composed by Sir Jonas Moore Knight.

London. 1681.

h. e.

NOVUM SYSTEMA MATHEMATICA, Compositum a Dn. Jona Moore, Equite.

Londini in 4^{to} 1681.

Occasio adornandi hujus Systematis Illustri huic Viro subnata est, ex Præfectura Xenodochii Christi Londinensis, quo munere annis ante obitum aliquot solerti cura defunctus est. Instituta enim inibi Regio sumtu Schola Mathematica in gratiam puerorum rei nauticæ aliquando admovendorum; id ipse laboris sibi sponte sumsit, ut conscripto hoc opere, & partes definiret matheseos, Scholæ isti necessarias, & rationem insimul illarum tradendarum. Totum vero opus cum quatuor partibus complecti constituisset: ea, quæ nunc (junctis Euclideanis & Algebra) Tomum priorem absolvunt, ad Primam retulit: reliquis tribus, Tabulas Astronomicas, succinctam Geographiam, & ex Elementis Euclideanis libros sex priores, undecimum, duodecimumque, ut & Algebram destinavit; quo ordine, non usque quaque certum.

T

Editis

Editis enim Arithmetica, Geometria practica, Trigonometria & Cosmographia, Autor in adornanda Nautice occupatus, post absolutam Algebram, Euclideanque libros Melderianis & Domini Barrov Figuris instructos, satis concessit, affectumque opus fortunæ posthumerum reliquit expositum. Adnitentibus autem Illustribus (quorum Præfatio non sine laude meminit) Viris, succollantibusque præcipue & sumtus facientibus Domino Hanvway, & Dn. Potenger, defuncti Generis, accedente porro liberali, in Nautica, Sphærica & Geographia perficienda, Domini Perkinsi, Flamstedii, & Halleji opera, Systema duobus Tomis comprehensum, tandem prodiit; serie partium insequenti.

Tom. I. proponitur 1. Arithmetica tam Naturalis & Decimalis, quam per species aut Principia Algebræ. 2. Geometria practica, cum sex Elementis prioribus, undecimo & duodecimo Euclidis, symbolice demonstratis. 3. Trigonometria plana & Sphærica. 4. Cosmographia. 5. Nautice, sive Navigandi ratio per Planum, Chartas Mercatoris, & Arcum circuli maximi. 6. Doctrina Sphærica motui Terræ juxta Systema vetus Pythagoricum aut Copernicæum innixa.

Tomo II. 7. Tabulæ Astronomicæ, & Logarithmorum, naturalium & Artificialium, Sinuum, Tangentium & Verforum Sinuum. 8. Nova Geographia, sive descriptio potissimarum Mundi Regionum & Tractuum, cum eorum chartis, Tabulisque Longitudinis & Latitudinis.

Opus tradendæ, docentium æque ac discentium insigni compendio, Mathematicæ apprime accommodum: & quod præter commendanda alia, in doctrina Surdarum quantitatum Tom. I. subnexa, Tabulisque Logarithmicis Differentialibus, pro Logarithmicis numerorum vulgariis 10000 & 1000000 intermediarum, & vicissim, inveniendis habeat, de quibus sibi gratulari possit Lector: cujusque Nautice (juxta præfationem) ob succinctam triplicis Navigationis explicationem; triplicem propositionum solutionem: certam & infalibilem cursus navium dimensionem; descriptionem Instrumentorum Nautices, usumque eorum ostensum, hætenus editis palmam indubie præripiat.

D. BUR

D. BURCHERI DE VOLDER,
Medicinae & Philosophiae Doctoris, hujusque
in illustri Academia Lugduno Batava Professoris Ordina-
narii celeberrimi
Disputationes Philosophicæ,
De Rerum Naturalium Principiis, ut &
de Aeris Gravitate.
 Lugdun. Batav. 1681. in 8.^o

Disputationes istas antehac habitas qui edidit, continuis numeris textum copulando in duos libellos congeffit. Ipse vero doctissimus earundem Auctor in iis, quas de Rerum Naturalium Principiis instituit, has ponit primorum principiorum conditiones; primam, ut clare distincteque percipiantur; secundam, ut non sint alterius cause naturalis sive corporeæ effecta; tertiam, ut ipsis nulla adscribatur proprietates cogitationis aut mentis; quartam, ut ex ipsis omnia hujus mundi phenomena que ant deduci; quintam, ut principia certo demonstrantur esse vera; quam tamen ultimam non necessario requiri autumat, quod effectus naturales a diversis causis pendere queant. Quibus explicatis evincere conatur, conditiones eas genuinas principiorum, neque materiæ & formæ Peripateticorum, neque atomis & inani Democriteorum, neque Sali, Sulphuri & Mercurio Chymicorum, neque *ἑμιομογενείας* Anaxagoræ competere; omnes autem convenire Materiæ & motui, ideoque hæc duo sola esse principia rerum genuina.

In Disputationibus vero de Aeris Gravitate, Aerem, qui tellurem nostram ambit, quemque spiritu ducimus, gravem esse i. e. premere tellurem & corpora in ejus superficie hærentia, probat 1. experimento Torricelli. 2. Experimento Ottonis Guericke Consulis Magdeburgensis, qui duo hæmisphæria avulsa separataque sibi invicem imposita, interjecta cera conglutinavit, deinde ex loco concavo aerem ope Antliæ eduxit, quo ipso animadvertit tanta vi sibi invicem coherere hæc hæmisphæria, ut pro varia eorundem latitudine, non nisi notabili sive equorum numero sive ponderum appensorum quantitate queant sejungi. Quem admirandum effectum aeris gravitati deberi

ita ostenditur : Cum aer immediate subjacens inferiori hemisphærio a gravitate aeris lateralis superiora versus feratur , nec quidquam in Sphæra sit, quod huic pressioni resistere valeat , oportet hoc hemisphærium ad alterum , quod eadem aeris superioris vi & gravitate deorsum premitur, comprimere tota vi & pressione subjacentis aeris , quæ quod tota dependeat ab ea , qua Aer lateralis deorsum ruit gravitate , sequitur omni hujus gravitatis vi & impetu hæc hemisphæria ad se invicem compelli. 3. Experimento proprio, quo bilance accurata non tantum in genere aerem gravem demonstrat , sed & datæ cujuscunque massæ aereæ certam gravitatem & pondus determinat.

PHILOSOPHIA CURIOSA
 seu *Universa Aristotelis Philosophia juxta*
Communes sententias exposita ,
 ab

Adalberto Tylkovsky e Soc. Jesu.

Typis Monasterii Olivensis S. O. Cist. Anno 1680. in 8.

Partes hujus Philosophiæ Curiosæ , Physicam & Meteorologiam, priusquam omnes junctim prodirent , impressas Cracoviæ Index Librorum Anno secundo Ephemeridum Naturæ Curiosorum adjectus docet. Institutum Auctoris est, Aristotelis doctrinam , quam nonnulli insufficientem & ineptam pronunciant solvendis experimentis, a calumnia ipsi religioni noxia liberare , ostendereque ejus principia naturalibus effectibus satisfacere. Operis universi quatuor sunt partes. I. Logica. II. Physica in sex partes subdivisa. III. Metaphysica. IV. Moralis , quæ ommissis cæteris doctrinis , fere omnis in parte Oeconomicæ absumta est, de re agraria ad cælum & morem Poloniæ instituenda. (Pauca excerptimus ex Physicæ Curiosæ memorabilia ad historiam naturalem pertinentia.

I. Vistula Prussiæ fluvius ante magnos imbres subito deficit, quoniam fontes ejus, qui sunt in montibus Carpathiis , in vapores attolluntur, qui postea resoluti dant pluviam.

II. Spiritus Vini Thermoscopiis infusus , incongelabilis , quia ardentissimus, hiemem constanter sustinuit , monstravitque aeris variationem

tionem ac gradus remittentis intendentisque frigoris, sed ubi accessit ætas, minima asperitate aeris in tantum sublatus est, ac hieme summo frigore.

III. In Prussiae Episcopalis Cameratu Allensteinensi, ad villam Butrini, lacus septennio absoluto evanescit cum piscibus, datque pratum, quod minimum centum quadrigas fœno oneret, post septennium redit cum piscibus.

IV. Siaus Prutenicus & aliæ aquæ certis temporibus florent, quibus inutiles sunt certis usibus; hæc efflorescentia ex fermentatione orta quousque dispersa est inconspicua, colligitur ac apparet, ubi in aliud flumen aquæ irrupere parant.

V. Retulit Jesuita Chanovvsky duos pagos Bohemiae contiguos, in quorum uno, dum est hiemale frigus, alter hilarescit calore æstivo: hic messis, ibi viride frumentum; hic ros, ibi pruina. Suspicio est, uni nitrum, alteri copiosos ignes subesse.

VI. Terra sigillata in Polonia ac in ripis Vistulae prope Varfaviam eruitur, licet viribus debilior, ut in duplicata dosi exhibenda sit.

VII. Gemmae omnis generis prope Varfaviam collectæ expoliuntur.

VIII. Sal fossilis, qui largo proventu ex fodinis minoris Poloniae instar grandium saxorum effoditur, quamdiu sub terra, minus ponderis habet, supra terram est gravior. Causa refertur vel in aeris subterranei densitatem, in quo Sal uti lapis infra terram, utpote in densiori medio minus premit; vel quod aeris recentis afflatu rigescat fiatque densior Sal & gravior.

IX. Succini, cujus fodinae prope Regiomontium in Prussia haut procul mari Balthico alibique in Polonia sunt celebres, minera similis plane apparuit loco, in quo olim ligna secabantur, ubi sarmenta, cortices arborum, ramusculi cum terra miscentur & ad terram declinant vetustate: habuit quid simile corticum terra obrutorum, aliquid radicum atque ramorum, & singulis intra nigram arenam adnatas particulas flavi succini sparsim neque tamen adhaerentes. Frustum exhibitum parte succinum, parte resina fuit, cui tamen se admisceat bitumen, alumen, nitrum & vitriolum atque Sal. Modum colligendi succinum diversum observant. Musca, viperæ, serices, paleæ & alia, quæ succinum exhibet portenta quasi involuta, ludibria sunt mera, nam ubi frangis, nihil habes. Vidit Hollandus quidam in

frusto succini grandem numum aureum apud quendam civem Regiomontanum, cupidineque auri pretio majore succinum emit; quo fracto se deceptum cognovit.

X. Pareliorum causa, motus, locus, significatio & historia per multa secula ad nostram ætatem continuata diligenter exponitur.

XI. Quæ in montibus aliquando reperta vulgus credit ossa tibiærum, dentes, crania de Gigantibus reliqua, ea in litore Vistulæ non procul a civitate Casimiria inventa Jesuita ostendit, ex luto molli seu margâ formari.

XII. In Lituania nullæ nascuntur spinæ. Causam Auctor opinatur frigus regionis.

XIII. In oppido Prussiæ Holland quidam in suo viridario arbusculam tiliam vertice suo in terram defixit, quæ post multos annos in arborem amplissimam & ramosissimam proventa est, ramis quidem deorsum ab trunco vergentibus, postea se rursus reflectentibus, radice vero, quæ cœlum spectabat, plurimis ex ea fufis obsita surculis. Jesuita Peripateticam doctrinam secutus, quæ nutritionem plantarum per attractionem succi fieri asserit, cum intelligat alimentum in arbore inversa non potuisse vi tractrice sursum provehi, ad cœlum & astra confugit, quorum calore contra naturam arboris elevatum sit.

XIV. Heliotropium Solem sequi decantatum est. Auctor in Italia, ubi plantæ vigent, diligenter attendens non potuit deprehendere, indeque conjicit ex amphibolia vocis opinionem ortam; quia flos similitudine Solem exprimit, dictum Solem sequi, quod perverse de motus sequela acceptum fuerit.

XV. Gemmas Sambuci sursum detractas per os purgare, deorsum tractas per inferiora, confirmat experientia sua. Detrahebatur, inquit, medius ex Sambuco cortex & hydrope correpto cingulo tenus supponebatur. Si detrahebatur cortex deorsum, descendebat, si detrahebatur cortex sursum, ascendebat hydrops.

XVI. Quod spectaculum lapis Bononiensis multo apparatu, hoc putre lignum pineum dat sine ulla præparatione, maxime, si bene prius pluviis perfusum Sol ingressus est. Illatam enim lucem camera retinet per justum spatium, quam tandem dimittit. Qua occasione adjicit, quod compertum habuit de vermiculis noctu lucentibus, qui oriuntur ex granulis copiosis per Poloniam totam, esse rubra ea modica
cujus

cujusque herbæ, maxime illius, quam vocant auriculam murium radicibus adhærentia; in Majo debere legi, in Junio versa in vermes avolare & nocte lucere. Ex quo arbitratur ipse, femina esse vermium qui alia radici affigunt dum ipsi animantur, quæ fotu terræ in vere adolefcunt; his tingi serica illa pretiosa; horum tabe scarlata, quæ tanto venire fecit vanitas rubescere. Hieme, æstate & auctumno deprehendi semèn hoc non posse ob exilitatem. Postquam vermis avolvit, solam relinquit vacuum vesiculam tanquam ejus secundinam, intra quam coaluit.

XVII. Ad finem Physicæ Appendicem geminam attexuit, unam de podagra, alteram de Plica Polonica, qui morbus est Polonorum fere solorum capillos complicans instar filtri, & paroxismos similes epilepticis, excecationem aliaque gravia symptomata inducens.

XVIII. Denique Partibus singulis Physicæ suæ adjicit Problemata & Paradoxa, quæ ex sparsim dictis solvenda relinquuntur: v. g. *An quis in eodem loco manendo currere possit? an foramen melius clausis quam apertis oculis videatur? an homo infinitus haberet cerebrum in capite? an debilis oculis juvetur perspicillis in vacuo? an de facto culex detur, cujus una ala totam terram possit tegere? an possit quis cribro aquam haurire? an detur aqua non maefaciens? an majus monstrum sit culex unius ulnæ, quam cetus 100 ulnarum? an possit audiri campana, quæ nunquam exitit? an unus homo simul equis mille possit insidere? an in gutta aquæ posset navigare classis Xerxis? an possit esse tantum frigus, quod verba congelet? an sufficiat truncus unus, ut quis se centum annis calefaciat hieme? an melius sit gigantem esse instar turris, an pygmaum instar psittaci? an converti possit lapis in Ciceronis Orationem? an Eva sit filia vel soror Adami? an aliquis existens in Polonia possit videre Regem Mogoris? an quis possit gustare alienam mensæ fercula ipse alibi existens? &c.*

GEORGII HIERONYMI WELSCHII,
Curationum Propriarum & Consiliorum Medicorum Decades X. Opus Posthumum.

August. Vindelic. 1681, 4.

Ut

UT editis in publicum scriptis pluribus notissimus est *Welschius*, ita non pauca, quorum in istis spem nobis fecit, restare adhuc videntur edenda, fato licet jam functus suo fuerit Autor. Posthuma hæc inter, primo in lucem publicam prodierunt *Decades X Curationum & Consiliorum Medicorum*, opera *Luca Schrockii* junioris, Med. D. & Phys. Augustani, qui memoriam *Welschianam*, seu Vitæ ejus amplam Historiam, cum librorum ejus tum editorum, tum edendorum catalogo jam anno 1678, mox ab Autoris obitu divulgaverat. Continent autem *Decades prædictæ* Casus in Praxi Medica subinde occurrentes, quorum curationis historiam Autor primo recenset, hinc prolixum ejusdem examen, tam theoreticum quam Practicum subjungit, & morbi cursum seu successivas mutationes juxta siderum motus simul perpendit. Examina ista juxta Veterum, Græcorum præsertim & Arabum (quorum linguæ exactissimam habebat notitiam, & scriptorum eorundem interpreterat accuratissimus) placita instituuntur, Modernorum tamen hypothesebus ubique insertis, cum Vir inexhaustæ lectionis existeret. Præ aliis vero similis argumenti Scriptoribus peculiare hoc obtinet, quod plurimorum morborum motum & exitum ad leges astrorum curiose trutinat, & criticas vel proprie tales, vel his affines mutationes observat; ita tamen, ut Criticarum Dierum enumerationes, non solum numeris Pythagoricis & Hippocraticis, quaternariis scil. & septenariis, prout communissime fieri amat, aut humorum conditionibus & proprietatibus Fracastorianis, aut Naturæ modificatis operibus, similibusque aliis adsignet, sed Lunæ motum in iisdem primario respiciendum jubeat, non exclusis penitus cæterorum planetarum benignis malignisve aspectibus; & quidem non Lunæ Phases, singulis mensibus consuetas, sed solummodo Lunæ motum per quadrata Zodiaci signa, eumque inæqualem, nec semper septenario respondentem; unde sæpius octavus Criticus esse soleat, tunc scil. cum Luna quadratum, respectu sui sub morbi principio Loci, attingat. Adeo incerta esse omnia asserit, quæ vulgo de quaternariis & septenariis diebus docentur, nisi ad leges sideralis scientiæ exigantur, & Hippocratis Arithmetice Latitudine quadam explicetur, non alia, quam ejusmodi cœlestium motuum observationibus definienda. Quæ ipsa adjunctis Schematistis, Lunæ Phases & aspectus, sub morbi motu & mutatione experimentibus, pro faciliiori apprehensione ulterius illustrat.

OLAI

OLAI BORRICHII

De Somno & Somniferis, maxime Papavereis.

Dissertatio.

Hafniæ & Francof. 1681. in 4.

Soporifera alioquin papavera haud leviter nihilominus hoc seculo ad sui scrutinium solentiora excitantur ingenia, quæ inter & Autor occupatus est in facultatibus eorundem citra occultarum qualitatum opem, clarius dilucidandis. In antecessum monet, sibi non displicere sententiam eorum, qui censent, somnum *ex clementiori quadam spirituum animalium in cerebro quiete dependere*, ita ut per somnos in cortice cerebri (ubi generationis eorum cum Willisio ponit exordia) spiritus velut in nebulam cogi videantur, & minus prompte separari, minusque alacriter moveri. Quoad densationis hujus causam in castra transit Stagiritæ, dum ex alimentis, vaporis habitu, *corporeum aliquid*, seu corpuscula oleosi generis, eaque in minutias seu spiritus attenuata, a calore nativo excitata, motu cordis juvante, in cerebrum ascendere, ibique Spirituum animalium, seu corpusculorum Salinorum volatiliū subtilissimorum, vivacissimum motum, adventu suo nonnihil suspendere, & procursum vehementiorem impedire asserit. Id quod per crassamentum ex S. V. rectific. & spirit. Urin. permistis natum illustrat, hac tamen limitatione, quod blandius ista in corpore animali contingant, ubi satis sit, si in tenuiorem saltem nebulam densentur Spiritus. Progreditur hinc ad papaveris, ejusque producti, Opii, seu somniferorum antesignani, anatomem chymicam, cogniturus, an tale oleum mite, ac spissans, idque copiosum, & facile quod distribui possit, in iisdem hospitetur; præmittendo prius considerationem controversiæ toties agitæ, calidum an frigidum sit papaver & opium, eamque ita dirimendo, ut *respective* consideratum, ad corpus scil. animale, & operationes, quas ibidem exercet, frigidum omnino illud pronunciet, cum quietem sensibus inducat, non motum, immoderatusque sumtum, gelationem & livorem artuum sudoresque frigidos inducat, & novissime frigidam mortem: sin vero *absolute* spectetur, particulas ejus potissimas, in calefacientibus numerandas esse, *ex oleosorum* scil. genere censeat. Id quod per Pyrotechniam Chymicam comprobare satagit: dum ex

U

sem.

fem. papaver. unc. xvj igne arenæ elicit, aquæ unc. iij, olei perquam fumosi, unc. ix, relicto in vase capite mortuo ad unc. iij, & paulo amplius, reliquum odoris subtilissimi forma, per vasorum commissuras, tripliciter vesica munitas, evanuit: pariter ex Opii unc. j, aquæ limpidæ guttas 60, olei fumosi admodum, sive quod fumi albissimi forma, partim per collum vasis, undulato lapsu properaret, partim excipulum satis capax oppleret, & per omnia spiracula exitum quæreret, una cum parte ejus crassiori, e rostro retortæ subinde stillante ad unc. B, elicit. Subjungit his experimenta, cum oleis istis destillatis, ut & cum Opio crudo, mediante Spiritu Vini, felibus & columbæ propinatis instituta, (quæ ipsa, ut & modo enarrata Spagyrica anatome ejus videri quoque possunt in Act. Med. Hafn. Vol. V. obs. 124. p. 331.) ex quibus (incidenter notando, non opium tantum, sed & simplicem Vini Spiritum, felivenenum esse) concludit, opii narcosin, a sale & spiritu quidem actuosorem reddi, proficisci vero primario ab oleo, cujus particulæ, cum minutiores sint, quam aliorum oleorum, facilius ascendant habitu albissimi vel fumi, vel vaporis, & instar nebulæ perreptent corpus, & ubi inciderint in liquores, eosdem nebulæ suæ involutos sistant, sive motum eorundem excitatiorem impediunt. Ultimo loco Opii usum explicat, tam quem per se, spiritus densando, eorumque & humorum impetum sistendo, quam quem per accidens, sudores, urinas, secessus, & vomitus movendo, præstat: hinc fructus ejus, quos in humano corpore sub cura morborum pollicetur, exponit, observando brevibus, quibus in affectibus magis minusve conducatur, & qua methodo adhibendum veniat; circa quam ultimo monet, minus secure Opium jungi Lapidibus bezoardicis, gemmis, Cinnab. antimon. diaphor. &c. aliisque pharmacis mitibus & insipidis, quam manifeste calidis; cum si quam noxam imprimat frigus Opii, eam superveniens calor aromatum corrigat; & quidem aromatum potius, quam spirituum: quod illa actionem Opii pedetentim sequantur, hi ut omni vinculo soluti, vel antecedant vel turbent comitando.

DE PRINCIPIIS RERUM LIBRI

tres, cum Appendice duplici,

Authore **GUILHELMO LAMY.**

Parisii, 1680. in 12.

Sicut

Sicut ex Titulo Scripti hujus constat, illud ab Autore in tres libros ac duas appendices digeri : Ita in *priore* Peripateticorum principia physica explicat atque refellit, hincque primis statim capitibus eorum materiam primam examinat & annihilat, nullamque loco hujus aliam, præter extensionem solidam atque impenetrabilem, concipi posse, declarat. Pariter illorum formam substantialem sub examen revocat, partim argumenta, pro hac facientia, recensendo ac solvendo, partim ratiocinia, quæ formarum istiusmodi existentiam suspectam reddunt, subnectendo, quæque contra hæc moveri possint, instantias declinando. Porro Corporum distinctionem Peripateticam in incorruptibilia & corruptioni obnoxia, numerum elementorum quaternarium, qualitatum extra corpora horumque modos realium, & quidem tam manifestarum, seu sensibilibum, quam occultarum sive insensibilium magis, tam rerum inanimatarum, quam animatarum, tam activarum, quam passivarum, existentiam atque formalitatem dubiam reddit : nullamque tandem finis in rebus naturalibus rationem esse habendam ; Vacui vero fugam Aristotelicorum absurdam evincit. *Librum secundum*, in quo Philosophiam Cartesianam examinat, in duas partes subdividit, atque in harum prima ostendit, neminem Cartesii philosophandi viam, quia de rebus omnibus dubitandum, omnesque nostras cognitiones seponendas ac rejiciendas esse docet, ingredi posse; ipsamque, quamvis aditu possibilis foret, ad immaterialitatis tamen atque immortalitatis animæ rationalis & Existentiæ DEI notitiam atque demonstrationem nullatenus conducere, sed utramque hanc rem declarandam partim obscuriorem reddere, partim falsis fundamentis inniti, imo contra proprias leges peccare, quatenus passim tales propositiones pro axiomatis supponit, de quibus tamen dubitare, quasque falsas potius pronuntiare decebat. In parte secunda, postquam Cartesii ac Democriti & Epicuri principiorum conformitatem atque disparitatem monstravit Lamy, essentiam materiæ neutiquam ex Cartesii mente in extensione sola consistere, nec materiam juxta eundem in infinitum divisibilem esse, argumentis diversis declarat, præprimis cum illis hypothesebus admissis non determinare liceat, quid sit locus, quid motus, & quomodo fiat, nec fluidorum corporum natura, nec durorum diversitas explicari queat ; tandemque legum illarum naturæ trium,

U 2

quas

quas de motu corporum materiæ, tanquam diversorum motuum causas secundarias atque particulares, finxerat Cartesius, falsitatem evincit. *Tertius* liber pariter bimembris est, utpote in quo primo Epicuri principia eo modo, quo a Lucretio tradita sunt, exponit & quæ in his paradoxa reprehendit Autor, v. g. quibus creationem impossibilem & materiam æternam esse, Atomorum indivisibilitatem a vacui exclusione oriri, motum atomorum superne deorsum, motum declinationis, hincque dependentem hominis libertatem, asserere conabatur, indigitat. Cum vero quoad plurima Doctrinam Epicuream præ cæteris magis verisimilem, ac universo & phænomenis naturalibus explicandis commodiorem habeat, principia hæc deinceps de æternitate atomorum, harum motus, numero infinito æternisque earum conjunctionibus per rationem meram sibi conceperat, fidei lumine corrigenda esse moneat.

Denique quoad scripti hujus binas appendices, prior Causas effectuum, quos Aristotelici Fugæ Vacui, Recentiores nonnulli Aeris Gravitati attribuunt, postquam aeris vim Elasticam explicuit, huic assignat, v. g. cur Mercurius in altitudine duorum circiter pedum cum quadrante consistat? cur Aqua machinas hydraulicas & siphonem conscendat? cur aer pulmones inspiratione ingrediatur &c. simulque argumentis Paschalii atque Gassendi, quibus aeris gravitatem comprobare satagebant, satisfacit. Posterior naturam & modum Fermentationis, hujus ac Effervescentiæ differentiam, Fermenti essentiam & agendi modum, secundum eadem Epicurea & a se correctæ principia, exponit.

CANONICI JURIS INSTITUTIONUM Libri tres,

Opera Francisci de Roye, Antecessoris Andegavensis,

Parisi. 1681. in 12.

IN concinnandis juris Canonici Institutionibus eandem Auctor methodum, quam Justinianus Imperator olim in Institutionibus Civilis Juris, servavit. Nam ut is Institutiones suas sic partitus est, ut de personis primum, post de rebus, ac postremo de actionibus atque judiciis ageret: ita eandem viam stricte Noster, quantum passa est argumen-

gumenti ratio, persequi voluit. Itaque præmissa Juris Canonici, ex Canonibus Conciliorum, Decretis Summorum Pontificum, dictis SS. Patrum, & Principum nonnullis constitutionibus conflati Historia, primo libro personarum jura exhibet, ac de Clericis in genere, eorumque ordinatione, electione, consecratione, de Summo Pontifice, Patriarchis, & Cardinalibus, de Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Canonicis, Monachis, personisque Ecclesiasticis aliis agit. Altero res Ecclesiasticas, tam quæ simpliciter, quam quæ aliquo modo juris divini sunt, persequitur, omnemque adeo de Sacramentis, & Bonis Clericorum temporalibus doctrinam evolvit. Tertio libro circa actiones seu judicia occupatur, deque Clericorum foro competenti, de eorundem judiciis, jurisdictione, delictis, poenis, & quæ alia sunt hujus disquisitionis, agit. Ubique vero id imprimis propositum Auctor habuit, ut juris originem ac progressum diligenter expendere, & sensim ad sua deduceret tempora, innueretque adeo, quæ Ecclesiastici juris, antequam Imperatores ipsi Christianam Religionem professi sunt, quæ postea, ratio fuerit, & quæ ex Canonico jure locum hodieque in Ecclesia Gallicana obtineant, quæ non. Nec enim dissimulandum, Auctorem Institutiones hæc suas ad Gallicanæ potissimum Ecclesiæ statum accommodasse, eoque non uno loco aliter sentire ac loqui, quam Romæ fortasse fuerit permissum. Nam e. g. *Politico Magistratu in Clericos jurisdictionem, de Ecclesiasticis bonis, imo rebus ad Ecclesiasticam Disciplinam pertinentibus cognitionem, nec non facultatem bona Ecclesiastica curandi legesque de iis condendi, exigendique a clericis tributa vindicat: Summi Pontificis potestatem Concilio generali, ex Ecclesia Gallicana, omniumque Gallie Parliamentorum & Universitatum sententia subijcit: nuptias liberorum deficiente paterno consensu initas, ipso jure nullas atque irritas, repudiata Concilii Tridentini, opinionem hanc anathemate ferentis, auctoritate, pronunciat, Principibusque ferendarum legum, quibus certi generis matrimonia non prohibeantur tantum, sed & irrita fiant, jus asserit: Jurisdictionem forensam Ecclesiæ non nisi concessione secularium Principum competere, Clericum Ecclesiastico foro valide posse renuntiare, seculares judices directam in Clericos jurisdictionem obtinere, ejusque generis alia non omnibus forte Romanæ Curie paulo devotioribus probanda, tradit.*

U 3

JO-

JO. SCHILTERI INSTITUTIONES
*Juris Canonici, ad Ecclesiæ veteris & hodi-
 ernæ statum accommodatæ.*

Jenæ 1681. in 12.

Quemadmodum *Job. Paul. Lancellottus* ad Ecclesiæ Romanæ & Hierarchiæ Pontificiæ, *Franciscus de Roye* vero ad Gallicanæ Ecclesiæ, suis quas vocant Libertatibus gaudentis: Ita *Dn. Schilterus*, J.C-tus ac Consiliarius Saxonicus, ad Ecclesiarum Evangelicarum ac juxta normam primæ & Apostolicæ Ecclesiæ repurgatarum statum Canonici Institutiones Juris accommodavit. Itaque non solum *Jus Canonicum κατ' ἐξωχὴν* ita dictum, quod a generalibus præcipue Conciliis vim accepit, & in Decreto Gratiani collectum est; multo minus *Pontificium*, quod a Curia tantum Romana profectum in Decretalibus magis cernitur: sed *Ecclesiasticum* Sacrumque *Jus* omne, ex Jure Divino, Conciliorum Canonibus, Legibus Imperatorum, Pontificum Decretalibus, ac Statuum Imperii Evangelicorum Ordinationibus Ecclesiasticis, usuque fori, justa ac concinna methodo propositum habuit tradere. Id quod duobus libris, quorum primus jura personarum Ecclesiasticam Societatem constituentium, alter rerum jura persequitur, ea dexteritate præstitit, ut quæ sit inter Protestantes, postquam per Pacem Religiosam Romanæ Curia Jurisdictione liberati sunt, Ecclesiastici regiminis ratio, quamque singula in Evangelicis Ecclesiis ordinate ac decenter, contra quam persuadere sibi amant nonnulli, peragantur, nullo negotio intelligatur. Subjungitur libello, S. S. Theologiæ non minus quam Juris Cultoribus utilissimo, Opusculum aliud, Differentias Juris Civilis & Canonici in Compendio exhibens; in Academia Julia primum A. 1635. a *Christoph. Wegnero* per modum Dissertationis Academicæ propositum, post ab *Henr. Habnio* aliquoties recusum, nuncque denuo in cupidæ Canonum Juventutis gratiam a Nobilissimo *Schiltero* adjectis brevibus notis editum.

B. AM-

B. AMBROSII ABBATIS GENERA-
lis Camaldulensis Hodæporicon, a Nicolao
Bartbolini Bargensi C. R. congregationis Matris DEI pu-
blica luci assertum.

Florentiæ ac Lucae. in 4.

UT integritas collapsæ in Italia disciplinæ monasticæ quodammo-
do restitueretur, anno recuperatæ gratiæ MCCCCXXXI Euge-
nii IV P. R. autoritate, *Ambrosius Camaldulensis*, cum socio suo Silve-
stro missus est, qui monasteria per Italiam lustraret, corruptosque mo-
nachorum ac virginum claustralium mores emendaret. Hujus offi-
cii partes, qua fide, zelo & prudentia impleverit *Ambrosius*, quaque
solennitate in diversis locis fuerit exceptus, in hoc suo hodæporico
ipse exponit, nominatis etiam claris viris, quos in itinere salutavit;
annotatis item libris, quos in Bibliothecis vel conspexit vel evoluit. Ro-
mæ Origenis in Lucam XXXIX Homilias ab Hieronymo traductas;
Mantuae inter multa Græca scriptorum volumina Orationes quas-
dam Juliani Cæsaris, Homeri vitam ab Herodoto scriptam, item *Quin-*
tilianus Musicam & alterius Senis de Musica opus cum aliis scriptis
perlustravit. In eodem itinere Chrysostomi quædam scripta, ejusque
vitam ex Græco Latine vertit, ac Pontifici Eugenio dedicavit. De
cujus affectu erga Concilium Basileense, & fuga propter Romanorum
insidias suscepta, simul quædam commemorat. *Cosmi & Laurentii*
Florentinorum virorum excellentium, quod illo tempore contigit,
exilium cum describit, eorum virtutes quoque laudat. Editor hu-
jus Hodæporici *Dn. Nicol. Bartbolini*, in adornanda ejusdem editione
liberalem operam Domini Antonii Magliabechi Sereniss. Magni He-
truriæ Ducis Bibliothecarii, viri ob humanitatem & studium augendi
rem literariam celeberrimi, valde prædicat, & sub finem laudati *Am-*
brosii Epistolas cum elogiis illius edendas promittit; de quibus do-
ctissimus *Vossius*, qui libro III de Histor. Latin. hujus *Ambrosii* scripta
allegat, nihil habet.

ÆGIDII MENAGII POEMATA.

Parisiis apud Petrum le Petit, in 12.

Qui

Qui Poetarum monumentis non ab antiquitate, sed nativa elegantia pretium ponere norunt, venustissima Gallorum elegantissimi eruditissimi que Abbatis MENAGII, Carminum gloria Veteribus Paris, Poemata sapius in unum collecta corpus prodiisse, & sexies antehac Parisiis & Amstelodami excusa fuisse, gaudent: sed jam nova hæc & septima prioribus locupletiore editione ea iterum typis vulgata esse, tanto magis delectabuntur, quo plura Latina & Græca, Gallica & Italica nova Carmina accessisse antea vulgatis cognoscent.

*PETRI ALLINGÆ FAX DISSIDII
extincta, seu Exercitationes Pacificæ,
Ad nonnullas quæstiones Problematicas, quæ
hodie in Belgio potissimum moventur.*


Amstelodami 1682. in 4.

Belgium nimirum, exorto Cartesianismo & Coccejanismo, in duas abiit factiones; quibus sua etiam nomina, inter plures alios, dederunt Leydekkerus & Allinga. Ille contra Cartesianos & Coccejanos in lucem publicam emisit Facem Veritatis; quam cum a se refutatam, tametsi nondum editam esse, falsus esset Allinga in præfatione, Erotematibus suis præfixa, ægre id ille tulit, facemque suam inextinctam & vi veritatis nunquam extinguendam esse, gloriatus fuit in Corollario disputationis, 22. Febr. A. 1679. habitæ. Quo in arenam se provocatum esse putans Allinga, Refutationem illam, quam hæcenus in scriniis suis reservaverat, evulgavit, *ut ita*, ceu loquitur ipse in præfatione, *Fax illa dissidii, ad confusionem vanæ Professoris jactantiæ, penitus ac omnino extingueretur.* Hinc Titulus Libri; qui proinde non de Pace, sed de Triumpho est accipiendus, quem super Face veritatis Leydekkeri (*face falsitatis & dissidii* jam ante Allingam a Burmanno in *Narrat. p. 27.* dicta,) canit. Quemadmodum etiam quæstiones has in Titulo quidem problematicas vocat; parum tamen orthodoxe Leydekkerum inter probandum agere, capite statim primo §. 6. censet. Totum itaque scriptum cum sit Elencticum, vestigia etiam Adversarii sui ubique premit, eundemque ordinem observat, & verbis ejus plene allegatis suas subjicit responsiones, postque octo & octoginta capita finem operi in octogesimo nono imponit.

OBSER.

TAB. VIII. ad A. 1682. pag. 161.





OBSERVATIONES QUÆDAM AB-

batis de Catelan, Oculos Insectorum concernentes,
ex Ephemeridibus Eruditorum Parisiensibus.

n. XXIV 1680. n. XII. & XVIII. 1681. excerptæ.

Inter reliqua, quibus Insecta nos in sui naturæque providentiæ admirationem rapiunt, *Dn. Catelan* horum oculos refert, dispari satis ratione & numero in illis conformatos. Sc. gaudere, inquit, *prima* eorum multas species, etiam minutissimas, v. g. pediculos, pulices (squammis munitos) & exigua illa animalcula, quæ in canistris, & scatulis, muscarum aut papilionum, quibus vescuntur, cadavera continentibus, reperiuntur, ac tineas, quæ æstate chartas, libros, mensasque transcurrunt, quarum figuram Tabula VIII. n. 1. exhibet, instar animalium majorum, duobus saltem oculis nigris, rotundis, satis duris & magnitudine corpori reliquo proportionatis, in quibus tamen nullas adhuc palpebras deprehenderit. E contra & *secundo* aliorum insectorum capita naturam pluribus, quamvis eo minoribus, oculis stipasse: illorum nempe, quibus numerus tantus necessarius videbatur, i. e. maximæ alatorum partis. Et inter hæc quidem alia non nisi unam saltem oculorum speciem gestare, sc. Scarabæos, exceptis cornutis paucisque aliis, qui integra oculorum serie globulos binos, ad latera capitum prominentes, oppleant, quod itidem in papilionibus proboscide instructis, observare contingat; Dum contra culicum cristatorum capita, loco harum eminentiarum globosarum, circulus protuberans cingat, qui totus oculis obsitus cernatur, quem circuitum nominatus Observator in Fig. 2. lit. L. M. ex viridi rutilantem, totidemque quasi adamantibus ornatum restatur. Ab eminentiore vero ejusdem culicum capitis parte T, cujus color fere gryseus, duas prodire cristas plumatiles, ex fusco rubicundas, in quarum medio proboscis ejusdem coloris N, sceptrum æmulans, conspiciatur; lateribus autem earum alias binas adstare, quarum caules, crystallinam pelluciditatem ostendentes, nodis multis, ab omni sui parte infinitas plumas, aurei coloris, emittentibus, gaudeant.

X

Alia

Alia vero horum insectorum genera v. g. muscas, formicas volatiles, & perlas seu libellas, quas Gallice Demoiselles, Germ. Jungfräulein appellant, pluraque alia, oculos diversæ molis & situs habere, i. e. præter tres majores in antica capitis parte, a *Domino Hire* annotatos, infinitos minores in lateribus & vertice ejusdem. Nimirum sine microscopio in cunctorum horum capitis lateribus duos exiles deprehendi globulos, in muscis ignei, in reliquis speciebus alterius coloris, quos ratione numeri, situs & splendoris binos animalculorum horum oculos crediderint; ast microscopii applicationem duas has eminentias oculis pluribus stipatas & ornatas manifestasse. Et quidem in Musca vulgari, secundum Fig. 3. quæ caput animalculi denotat, in eminentiis BDE magnitudine uvæ minores oculos hos æmulari asserit, tres vero majores literis AAA designat Noster. Ambiguus nihilominus, an granula illa exigua lateralia revera totidem oculi essent, bina hunc in finem adornavit experimenta: Nempe primo delineatas muscarum nonnullarum eminentias BDE pice molliore, aliarum capitis apicem, ubi oculi majores AAA, cera sigillatoria, ac aliarum denique omnes has partes simili materia obtexit, cunctas vero phiolæ vitreæ immisit, observavitque semper, quod duæ priores muscæ, quibus saltem partes aut AAA aut BDE erant incrustatæ, evolarint, imo postmodum fenestram petierint, quasi visu satis claro adhuc pollerent: dum reliquæ, quarum cunctæ illæ tres protuberantiæ cera aut pice obvolutæ, leviter saltem in phiolâ se converterent; exemptæ vero, instar cœcarum, palpando progredierentur, & nunquam evolarent. Deinde partes AAA & BDE quam accuratissime & subtilissime a cute separavit, atque harum faciem inferiorem per microscopium inspicendo sub AAA tria foramina trianguli ILM, apicibus AAA respondentia, sub BDE autem innumera foramina, in schemate CGI expressa, deprehendit, ita quidem, ut tria foramina majora ILM aut AAA obvelata fuerint membrana tenuissima & pellucida, quæ rugosa & in diversis locis sanguine tincta observabatur, probabiliter obrupta ac discissa vasâ ac fibras cerebri, quæ in insectis cum his partibus communicant.

Ast in parva Libella, (notantur enim hujus tres species, magnitudine distinctæ) quæ Fig. 4. delineata nudo oculo paulo gracilior
pau-

TAB. IX. ad A. 1682. pag. 163.

Fig. 1.






Fig. 2.



TABLA



pauloque longior musca communi apparet, alis rectis ac pedibus brevioribus, atque, instar Lacertarum, distractis gaudet, cute rugosa & musci colore tineta, caudaque in bifurcatum mucronem abeunte, seu fetis albis duabus instructa est, inter duo hujus cornua pellucida seu antennas, tres magnos & virides oculos conspici, idem *Catelan* perhibet, quorum duo EE tertio paulo majores existant: præter laterales autem eminentias, exiguis admodum atque innumeris oculis stipatas H g, in vertice quasi pileolos seu mortariola duo rutilantia, d.c.b. & DGC assurgere, pariter oculis multis exilioribus & coelum spectantibus ornata.

*PETRI M. KAVINÆ GEOMETRÆ FAVENTINI,
Cometa Anni 1681 & 1680, & in eundem Astronomici
conatus, atque Physica meditationes,
Faventia 1681. fol.*

Complectitur hoc Schediasma duas, titulo indice, partes: quibus historia Cometæ, a 24. Dec. st. Greg. 1680. ad 9. Feb. 1681, ab *Autore* observati, brevibus præmittitur.

In priori, cum per quatuor Problemata, ex data Cometæ altitudine & Azimutho, Solisque loco, ad Obs. d. 25 Dec. hor. o. 40 ab occasu Solis habitam, Cometæ declinationem & Ascensionem rectam, longitudinem, latitudinem, tempus occasus, & tunc amplitudinem occiduum Cometæ; Solis porro hoc posteriori tempore profunditatem, & circuli verticalis per Solem ducti amplitudinem occiduum deduxisset: Problem. V & VI novam distantia Cometarum a Terra investigandæ rationem, supposita prius cognita extremi caudæ Cometice altitudine & Azimutho, insuperque projectione ejusdem in partem, præcise a Sole averfam, proponit.

Cui intelligendæ, sit in Fig. I, A Terra, ad Semidiametrum orbis annui puncti instar habita; DG, Horizontis astronomici & simul orbis annui portio, differentiam azimuthalem Solis, & extremi axis Cometæ T mensurans; C, Cometæ corpus, qui in eadem cum Sole superficie spherica moveri interim intelligitur: ductæque sint ex A rectæ, ad B, Solem sub Horizonte per arcum DB mesurum, C, Cometæ caput, & T,

& T extremum caudæ Cometicæ CT: Assumatur AD sive AB, tanquam radius, partium 100000, ut habeatur EB, sinus rectus primus, & AE complementi arcus DB. Et sit altitudo extremi caudæ Cometicæ Tubi nihil *Autori* refert, ipsa Axis extremitas punctum hoc sit, an minus, dummodo ejusdem puncti capiatur altitudo & Azimuthum) angulus GAT, aut GAH; hujusque Tangens GH.

Facta deinde, beneficio Perspectivæ, IF æquali ipsi EB, producantur ambæ æqualiter ad L punctum. lineæ AT, & N, junganturque rectis NL, BF; hisque porro parallelæ ducantur TV, VR, RS, ST, occurrentes rectis, ex A per L, N, B, F ductis, in punctis T, V, R, S.

Ducta jam EI, eaque & angulo dato EAI per rectam AX bifariam divisâ, habetur in triangulo EAX, rectangulo ad X, ex angulis & latere AE, latus XE, & inde tota EI.

Habetur etiam in Triang. AEN, rectangulo ad E, ex latere AE, anguloque NAE, latus EN; & addito EB, tota BN, & huic æqualis FL: ex quo in parallelogrammo rectang. BNLF, diagonalis BL & angulus NBL; ex hoc vero & latere EB, in Triang. EBQ, rectangulo ad E, latus EQ; & ex hoc QX ignorari nequeunt.

Pro habendo autem angulo DAC sive EAQ, sub quo Cometam in puncto C plani Horizontalis, juxta data & supposita, apparere oportuit, in Triangulo QXA, ex latere QX, & AX (quod habetur Quadrato lateris EX, ablato ex Quadrato lateris AE) inventus angulus QAX subtrahatur angulo EAX, & habebitur angulus EAQ, distantia azimuthalis Cometæ in Horizontis puncto C, a verticali Solis in B.

Atque ex hujus sive æqualitate cum differentia Azimuthali, per observationem acquisita, sive differentia ab eadem, judicium *Autori* instituitur de sede Cometæ.

Indicat enim differentia	{ æqualis }	{ Soli æquidistantem.
Azimuthalis, circuli ver-	{ minor }	{ ang. EAQ, }
ticalis per Solem ducti,	{ major }	{ Cometam }
& Cometæ		{ Sole { superiorem.
		{ inferiorem.

Cum ergo *Autori* differentia Azimuthalis ex Probl. III & IV deducta, sit minutis minor fit angulo dicto:

Jam in Probl. VI ex prius datis, distantiam Cometæ (missis, ob ingen-

ingentem ejusdem distantiam a Terra, circa parallaxin altitudinis, aliaque, scrupulis) ita determinat:

Sit in Schemate II A Terræ globus, pro puncto usurpatus, B Sol in reperta & calculata profunditate, C Cometa, AD Semidiameter orbis Solis in loco noto ab Apogæo, DB arcus profunditatis Solis, sub Horizontis plano vel circulo. Assumatur AD, uti radius, 100000; AF, DB, FB, uti prius; & huic parallela & æqualis demittatur AY, perque eas agatur planum AYBF. Quoniam vero ducta linea a centro Solis ad extremum axem Cometæ visum in M, ab eodem plano divergere debuit per angulum AYH, in præmissis Probl. NBL vel EBQ: fiat planum HYLC, inclinatum super plano AYBF, per angulum AYH, quorum planorum inclinatio sive divergentia in horizontali plano ac circulo mensuretur per arcum horizontis DG, cujus angulus sit DAG, respondens angulo præmissæ figuræ EAQ vel DAC; ubi apparere debuit Cometa, si per eandem cum Sole distantiam incederet, ut redigeretur in recta linea BM. Sed quia visus est in acutiori angulo differentie azimuthalis a Sole, hic representetur per angulum IAC: hoc enim modo servabitur angulus inclinationis axis Cometæ caudæ, nempe CM, in eodem plano sive inclinatione AYH, prout etiam angulus visus seu observatus IAC.

Excitatis jam super plano horizontali ZAP, sub angulo A (cujus mensura est in Fig. I arcus DG) & ad easdem partes, perpendicularibus RF, TS, producat secans AT anguli altitudinis visæ caudæ, usque ad visum apicem in M.

Capiatur dati arcus DG, ubi Cometa apparere debuit in eadem cum Sole distantia, tangens, & transferatur ad C, distantiam competentem angulo IAC: & fiat, ut anguli IAC tangens, ad tangentem dati arcus DG; ita radius AG, ad AC, Cometæ distantiam a Terra, in partibus, quarum semidiameter orbis annui est 100000.

Reliquis deinde Problematibus, Magnitudinem Cometæ veram, Caudæ vergentiam, longitudinem, distantiam extremi apicis a Terra, ex Fig. II; apparentem motum, inclinationem orbitæ & nodos, Perigæum, hypothefin Astronomicam itineris Cometici, per peculiaris Schemata deducit & explicat.

In alterius partis Meditatione Ima, Veterum Pythagoræorum,

a nonnullis hodie interpolatam sententiam, de aeternitate, certoque reditu Cometarum, cum ad necessaria hypotheseos geometricæ connexa, tum ad Cometarum, hujus præcipue, apparentias ita examinat, ut eam geometricis, physicis, opticisque argumentis labefactari, impossibilemque adeo Cl. D. Gallet Avenionensis, in Observationibus hujus Cometæ ad se missis futuros Cometarum reditus, loca & tempora prædicendi rationem promittentis, ausum affirmet.

Illa, transit ad Sectam alteram, Generationisque Cometarum modum verbis Hippocratis l. i. de diætâ, sect. 6. n. 7. effert: *Generari idem est quod commisceri; perire corrumpique, ac minui, idem, quod secerni.* Quæ ratione admisa, cælorum corruptionem ex hypothesi hac metuentibus succurri posse pronunciat.

Trajectorium Cometis motum, per convexam ad nos qualemque lineam, Med. IIItia describit; impulsus vero, motusque cæteras vices, moli Cometæ, turbinationi & facultati Solis, ætheris rarioris interventui, Planetarumque radiationibus tribuit; Cometæ præcipue præsentis, ante Solem m. Novembri, dein post eundem conspicui (adeoque pro uno ab *Ipsa* recensiti) Phænomena scite admodum ex causis allegatis deducit; ut & Med. IVta, immutatam caudæ longitudinem, observatamque ejus a centrali Solis directione deviationem. Vta, duas Stellâs, unam d. 4. Febr. in Triangulo, cum long. gr. 7. 28 γ , lat. borea gr. 18. 32, magnitudinis quintæ; alteram d. 22 Jan. in Andromedæ femore australi, quartæ magnitudinis, long. gr. 3. 10 γ , lat. bor. gr. 29 fere observatas sibi, novas, ex collatione cum Catalogis Fixarum, in hanc diem extantibus, statuit. Ultimo denique significationem malorum, Cometis alias tributam, præcipue huic, abjudicat: subnexusque ad Cl. Maliabechium literis, curvaturæ Caudæ Cometicæ in Austrum, Lovanii perpetuo observatæ, causam non inconcinne reddit.

Cæterum circa ea, quæ distantis Cometarum definiendis retulimus, B. L. notare velimus: calculi capita ab Autore recensita, ea propter a nobis ommissa, quod Problematum horum usum generalius constitutum fuerit ostendere. Cum vero Cl. Autor eadem adduxerit, ut si quis calculandi error irrepperit, facilius ab Astronomis deprehendi possit,

cum

cum sibi technas obtrudere animus non fuerit: *fraudi credo apud V. Doctissimum nobis non erit, indicasse, quæ calculum Eius repetentibus diversa fuerint comperta.*

Et in Probl. quidem II do, non ipse angulus NLG, sed ejus complementum ad maximam Solis declinationem, i. e. arcus OF, a quadrante BF videbatur subtrahendus: ex quo arcum BO 36; Gl, latitudinem Cometae, 41 minutis majorem; CBG vero, seu longitudinem, uno minuto minorem nacti sumus. In III tio, arcus ED nobis est gr. 11.12; & inde in Probl. IV to, ED gr. 19.22, correctisque reliquis, amplitudo occiduae circuli verticalis per centrum Solis ducti, gr. 20.10.

In V to porro, latus EN, factò, ut Sinus totus, ad AE; ita Tangens anguli NAE, ad latus EN, emerfit 90865; quod Autori (procul dubio loco Tangentis Sinum usurpanti) saltem est 66527. Hinc calculo quatenus oportebat correcto, angulus hujus probl. EA Q nobis non integro minuto minor eo, qui est ex subtracta, Cometae Probl. III, a Solis, Probl. IV reperta amplitudine, Cometam paulo infra Solem, vicinissimum tamen (quippe vix 15. gr. ab ipso distantem) constituit.

Ex quo Dn. Kavinxæ, aliisque etiam, cum Ipso unum Cometam ex matutino vespertinoque facientibus, tanto fidentius jam decernendum fortassis fuerit, de Cometa in vicinia Solis, ab instituto cursu in viam diversam tam violenter abrepto: ut mutatio adeo insignis, inclinationis orbitæ non gratis facta asseratur.

Nobis certe hac una causa fuit, adnotandorum, quæ in calculo Autoris animadvertimus; dissimulaturis cateroquin, quantumcumq; etiam Climum hunc Virum labi contigisset: cum id laudis nihil, aut egregis Eius cogitatis detracturum, aut Nobis comparaturum fuisset; facili utique & calculi lapsu, & erroris deprehensione.

Non alienum autem duximus coronidis loco annectere, quæ benevole ex Anglia submissa sunt,

COMETÆ ANNI 1680 & 1681 LOCA EX

Observationibus Grenovici prope Londinum

habitis deducta,

per JOHANNEM FLAMSTEDIUM,

Astronomum Regium.

Tem-

	Tempora post mer.		Longit. Cometæ		Latit. Borea		Caudæ Deflex.		Cometæ loca ab e- jus a Fixis distantis, Sextante Telescopio, pedum fere septem radio, captis fuere derivata a meipso, adhibitis etiam ad hoc negotium Fixa- rum locis, e propriis Observationibus de- ductis; Tyconica siquidem tria, qua- tuor & nonnunquam quinque integra scru- pula prima a veritate abesse comperi.
	H.	l.	S.	o. l.	o. l.	o. l.	o. l.		
Dec. 12	4.	46	♃	6. 33	8. 26	o. 49 Au.			
21	6.	32	♃	5. 8	21. 45				
24	6.	12		18. 49	25. 23				
26	5.	14		28. 24	27. 1				
29	7.	55	♃	13. 12	28. 10	5. 9.			
30	8.	2		17. 37	28. 11	5. 57.			
Jan. 5	5	51	♃	8. 49	26. 15	6. 28.			
9	6.	49		18. 43	24. 13				
10	5.	54		20. 41	23. 44				
13	6.	56		25. 59	22. 17				
25	7.	44	♃	9. 36	17. 57				
30	8.	7		13. 19½	16. 41				
Feb. 2	6.	20		15. 14	16. 2				
5	6.	50		17. 0	15. 27				

JO. CHRISTOPHORI RUMETSCHII, *SCHE-
diasma Historico-Theologicum de Conjecturis
Ultimi Temporis.*

Francofurti ad Mœnum 1681. in 8.

INter alia hic Autor post institutum brevem Discursum de Judæorum
vel Conversione vel in terram Canaan reductione, sub examen revo-
cat falsas Hypotheses Scriptoris Anonymi, cui per Gallicum Anagram-
matismum, HABITE EN SION, nomen suum occultare placuit, in *Jude-
orum Excitabulo Matutino*, sive *Judeo Reduce* (nam ita inscripserat
Librum) sparsas. Quia vero Anonymus iste nihil aliud præstitit,
quam ut *Judeorum*, *Cbiliasarum*, *Origenistarum*, *Weigelianorum*,
Photinianorum, *Mubammedanorum*, *Fratrū Rosæ Crucis* &c. affanias
novo quodam interpolari mangonio, hinc & Rumetschio satis visum,
fontes saltem, unde sua paradoxa hausit Anonymus, indicare, & ad
scripta sive Veterum sive Recentium Scriptorum provocare, ubi jam-
quidum sunt proscripita omnia ista ex Orco revocata Principia, quæ si
indicata solum fuerint, pro impiis rejiciantur.